# Mammea

1. americana M.

Mammea humilis, foliis acutis, pedunculis petiolo longioribus, baccis trisper-
mis.

Habitat in Montserrat Ryan. ♄

Arbuscula circiter sexpedalis, sulco luteo aquoso scatens.

Rami inferne teretes, superne alternatim compressi, rigidi, glabri,
articulati, sub articulis parum dilatati, in arbore masculino
ad cicatriculam utrinque tuberculo, piso parum minore, inaequali, muricato,
florifero.

Folia petiolata, opposita, quadri~~polli~~ vel quinque pollicaria,
elliptica, plerumque acuta, rarius obtusa cum emarginatu-
ra parva, integerrima, subcoriacea, utrinque venosa, gla-
berrima, subtus pallidiora, costa flavescente.

Petiolus subtus carinatus, supra canaliculatus, pollicaris.

Stipulae nullae.

Pedunculi infrafoliacei, in masculo arbore e tuberculis; in foemi-
neo parum supra cicatriculam petioli, duo ad quatuor,
sesquipollicares, teretes, uniflori, patentes, subreflexi

78.

Flores polygami.

Hermaphroditus in distincto individuo a masculo

Calyx inferus, diphyllus, persistens: foliola subrotunda, concava, ~~brevia~~, petalis quintuplo breviora

Corolla. Petala quatuor, subrotunda, patentissima, subtus valde convexa supra concava, ~~peract~~ duo parum majora, peracta florescentia reflexa

Litr. L. p. 41.

Stamina. Filamenta conicosa, ad basin receptaculi germinis inserta, petalis breviora. Antheræ parvæ, subrotundæ

Pistillum. Germen superum, receptaculo hemispherico, flavescente e post casum filamentorum ~~deciduis~~ tuberculato insidens, ovato subrotundum. Stylus brevissimus. Stigma convexiusculum, sæpe inæqualiter trilobum.

Pericarpium. Bacca oblonga, apice acuminata, obtusa, bipollicaris, trisperma. Semina oblonga, venoso reticulata, latere interiori plana.

Mas

Calyx, Corolla et Stamina ut in mare

Pistillum nullum. Receptaculum hemisphaericum

Quoties figuram Rheedia in iconibus Plumierianis intueor, tohies mihi vero simile videtur eam a Mammea hic descriptam vix specie, ne quidem genere differre. Conveniunt etenim exacte figura foliorum, situ florum, figura petalorum, fructu et toto habitu, differunt modo secundum characterem Linnaei, quod Rhedia calyce destituitur. Linnaeus autem, qui, ut ipse in speciebus plantarum fatetur, plantam non vidit characteremque generis a Plumierio mutuavit, cum vero hic nil de calyce commerat, et ex ejus figuris partium fructificationis haud optimis potius ecalyculata quam calyculata videtur, Linnaeus forte eam ecalyculatam pronunciavit. Secundum Mantissa Linnaei secunda, pagina 401. observatio in speciebus plantarum Rhedia addita excludi debetur, aliamque dedit descriptionem in Systemata plantarum edit. Holm. 1776. uti et descriptionem uberiorem staminum et pistilli in Mantissa pag. 141;



verte

forte ad specimen exsiccatum confectas, calycem vero in utroque loco intac-
tum reliquit. Nonne conjicere licet, quod calycem vel praetervidit
in specimine sicco propter parvitatem, vel quod omnino defuit casu in
specimine a viro illustri viso. Tantum a veritate non abhorrere videtur
haec mea conjectura, cum non modo ubi jam dixi mea planta penitus ad figu-
ram Rheedii Plumierii quadrat, sed in omnibus; calycem si excipeois,
cum descriptione Linnaei.

# Mammea

Mammea americana, foliis obtusissimis striatis, pedunculis brevibus, baccis tetraspermis

Mammea americana Lin. Syst. veget. pag. 492.

77.

Mammea parviflora, ~~foliis~~ acutis, ~~pedunculis~~ petiolo longioribus, baccis

Anispermis

americana Mammea Lin. I. V. pag. 492. + Jacqu. hist

Mammey Dalech. hist. 1836 Laet am. 365. Bauh. hist. 1. p. 172

Arbor indica mammey dicta Bauh. pin. 417.

Mammey magno fructu, persicae sapore Plum. gen. 44. ic. 170

Malus persica maxima, foliis rotundis splendentibus glabris fructu maximo scabro rugoso Sloan. hist. 2. p. 123. t. 217. fig. 3.

Habitat in Hispaniola, Jamaica ♄

Rami teretes glabri. Folia petiolata lata opposita ovalia basi acutiora, obtusissima glabra venosa, venis confertissimis obliquis, punctatis minutis elevatis utrinque, costa gemina nitidia palmaria vel spithamaea margine parum crassiora refl paululum reflexa. Flores laterales